& ſic baptizetur ; hic enim vere , & valide baptizatus erit . Tum in ipſomet Sacerdote , qui animo celebrandi accedit ad Altare, ſi poſtea mente diſtractus ſine actuali advertentia verba conſecrationis proferat, valide conſecrat: cum tamen illa Baptiſmi ſuſceptio , & prolatio non ſit formaliter libera in ſe, ſed ſolum virtualiter , vel in cauſa ; quia ſine actuali judicio rationis, vel advertentia libertas formalis eſſe non poteſt.

XXI. Objiciunt quarto . Sequitur ex hac ſententia , poſſe dari caſum , hominem eſſe juſtum , & ſimul mortaliter peccare . Nam ſi dum inſtat tempus præcepti , vel ante , de data cauſa omiſſionis pœniteat , vere juſtificatur ; & tamen peccabit dum omittit ; non enim poteſt facere , ut cauſa omiſſionis ſemel poſita non ſit poſita. Ex quo ſecundo ſequitur, illum neceſſario peccare . Nam ſi quis hodie ſe inebriet , prævidens ſe incapacem fore die ſequenti ad jejunandum , propter morbum , ex ebrietate contrahendum ; & tamen præcipiat illi Medicus, vel Superior die ſequenti, ut non jejunet, quidquid faciat , neceſſario peccabit.

XXII. Reſpondeo , negando primum illatum . Nam , ut ſuperius dictum eſt , ſi quis de data cauſa pœniteat , & tamen omiſſio ſequatur, omiſſio illa deſinet eſſe culpabilis; quia eſto eam retractando facere non poſſit , ut cauſa ſemel poſita non ſit poſita , facere tamen poteſt, ut cauſa illa non ſit illi amplius voluntaria; & proinde quod omiſſio ſequens voluntaria amplius non ſit, & culpabilis.

Nec ſecundum illatum urget. Nam ſi qui voluntarie ſe inebriavit, prævidens ſe contracturum morbum, ex quo ſiat impotens jejunare, & de facto morbum contrahat, quo ex præcepto Medici, vel Superioris teneatur non jejunare; vel ſerio retractavit, & doluit de cauſa ebrietatis, & ſic omiſſio jejunii deſinit ei eſſe voluntaria: vel etiam ſecuto ex ebrietate morbo, ſtulte adhuc approbat cauſam, quam dedit non jejunandi; & ſic voluntarie ſe conjicit in hanc neceſſitatem peccandi , ſive jejunando , ſive non jejunando . Sicut qui operatur ex conſcientia vincibiliter erronea, peccat , ſive operetur ſecundum illam , ſive contra illam agat , ut ſuperius dicebamus : Quia cum potuerit conſcientiam illam deponere , & non depoſuerit, in peccandi neceſſitatem ſe voluntarie conjecit.

XXIII. Adverto tamen, quod qui ſua culpa ſe impotentem faciat ad exequenda præcepta, ſit quidem reus omiſſionis omnium illorum præceptorum , quæ advertit ſibi eſſe implenda, vel quæ humano modo potuit, ac debuit advertere: ſed quantum ad ea , quæ poſt longiora tempora eſſent facienda , vel quæ per accidens ſtatim occurrunt , cum humano modo non cenſeatur potuiſſe omnia advertere , non eſt cenſendus omnium illorum reus . Unde ſi qui ſe inebriavit, prævidens quidem morbum ſecuturum die ſequenti , ne illa die jejunet , non tamen morbum illum diu duraturum ; peccat quidem omittendo jejunium illa die, non tamen diebus ſequentibus, quos non advertit nec advertere potuit.

XXIV. Adverto etiam. quod qui eo tempore, quo ſervandum erat præceptum, illud omittit, quia ſe reddidit impotentem ; peccat quidem , ſed non novo peccato habente novam malitiam ab ea , quam habuit voluntas ponendi cauſam: cum omiſſio non ſit ei voluntaria , niſi ea voluntate , qua poſuit cauſam ; nec omittendo aliud faciat , quam conſummare in effectu , quod conceperat in affectu. Hinc actus, qui ſunt cauſa , vel occaſio omiſſionis , ſeu ex quorum effectu omittitur opus præceptum , non ſunt peccatum diſtinctum a ſubſecuta omiſſione, ſi tamen in ſe, & intrinſece non ſint mali: ideoque ſufficit in confeſſione accuſare omiſſionem , etiamſi non accuſetur cauſa; puta , quia dormierit, aut ſtuduerit, aut quidpiam indifferens fecerit eo tempore , quo præceptum , puta audiendi Sacrum , erat implendum . Et ratio eſt : tum quia actus illi aliam malitiam non habent, niſi omiſſionis; nec alteri virtuti opponuntur, quam illi , cui omiſſio opponitur . Tum quia ordinantur per modum cauſæ , ſeu modi ad omiſſionem conſummandam . Tum quia comparati ad omiſſionem operis præcepti , ſimiles ſunt actui interiori , & exteriori , quos unicum peccatum conſtituere oſtenſum eſt. Quod ſi actus qui ſunt cauſa omiſſionis ſint aliunde ex ſua natura mali: velut, ſi quis ideo Sacrum non audit, quia cum illud eſſet audiendum , vacat ebrietati , aut legit libros prohibitos ſibi , aut aliud quid malum intrinſece facit; tunc actus illi , etiam ſecluſa omiſſione, peccata ſunt, & diverſa : ideoque in confeſſione aperienda eſt non ſolum omiſſio , ſed etiam cauſa , quare omiſit.

§. III.

An Peccata Commiſſionis , & Omiſſionis ex eodem motivo procedentia, ſint ejuſdem Speciei in eſſe Moris?

XXV. PEccata commiſſionis, & omiſſionis ſumi poſſunt, vel materialiter , ſeu in eſſe naturæ , & phyſico ; & ſic certum eſt , diſtingui pluſquam ſpecie : quia natura commiſſionis eſt, quod ſit actus poſitivus; natura vero omiſſionis eſt, quod ſit privatio, vel negatio actus: conſtat autem, quod actus, & privatio ſunt naturæ ſpecie diverſæ, eo tamen modo , quo privatio , vel negatio ſpeciem habere poteſt . Quia vero ea , quæ in eſſe naturæ ſunt maxime diverſa , poſſunt formaliter convenire , & ordinari ad unum: *Ideo* (inquit D. Thom. hac 1. 2. qu. 72. art. 6.) *inveniuntur aliqui actus materialiter ſpecie differentes , qui tamen formaliter ſunt in eadem ſpecie peccati , quia ad idem ordinantur : ſicut ad eamdem ſpeciem homicidii pertinet jugulatio , lapidatio , & perforatio , quamvis actus ſint ſpecie differentes ſecundum ſpeciem naturæ .* Ideo locus quæſito datur : an peccata commiſſionis & omiſſionis ex eodem motivo procedentia , ſint ejuſdem ſpeciei in ratione moralitatis, & peccati ; nempe, an Medicus , cui ex officio incumbit cura infirmi , ejuſdem ſpeciei peccatum homicidii committat , ſive ex propoſito omittat propinare remedia , ut moriatur ; ſive ex propoſito propinet noxia , ut eum occidat . Qua in re non unius mentis ſunt Theologi , quibuſdam negantibus, aliis affirmantibus.

XXVI. Dico tamen cum S. Thoma *art. 6.* citato . Peccata commiſſionis , & omiſſionis , ſi ad idem ordinentur , & ex eodem motivo procedant , ſunt ejuſdem ſpeciei in eſſe moris : *Si autem loquamur* (inquit S. Doct.) *de ſpecie peccati omiſſionis & commiſſionis formaliter , ſic non differunt ſpecie , quia ad idem ordinantur , & ex eodem motivo procedunt . Avarus enim ad congregandam pecuniam , & rapit , & non dat ea , quæ dare debet : & ſimiliter guloſus ad ſatisfaciendum gulæ , & ſuperflua comedit , & jejunia debita prætermittit , & idem eſt videre in cæteris . Semper enim in rebus negatio fundatur ſuper aliqua affirmatione , quæ eſt quodammodo cauſa ejus . Unde etiam in rebus naturalibus ejuſdem rationis eſt , quod ignis calefaciat , & quod non infrigidet .* Quæ valde notanda ſunt . Non enim negat , peccatum commiſſionis , & omiſſionis poſſe differre ſpecie , quatenus conſiderantur ſecundum genus tantum ; cum evidens ſit, omiſſionem Sacri & commiſſionem furti , vel homicidii , eſſe peccata ſpecie diverſa ; ſed ſolum vult , quod diverſitatem ſpecificam non habeant ex eo , quod unum ſit commiſſio , & alterum omiſſio , quamvis eam poſſint habere aliunde, veluti ſi verſentur circa diverſam materiam, vel ſub diverſa ratione.

XXVII. Probatur inſuper alia ratione . Proportionaliter ſe habent facere malum, & declinare a bono, & facere bonum, ac declinare a malo : ſed facere bonum , & declinare a malo , ſi ex eodem motivo procedant , ejuſdem virtutis ſpecie partes ſunt: nam ad eamdem virtutem juſtitiæ pertinet , reddere cuique jus ſuum , & non rapere aliena: *Quia* (ut ait D. Thom. 2. 2. qu. 79. art. 1.) *utrumque eorum requiritur ad perfectum actum juſtitiæ ;* ergo eadem ratione facere malum , & omittere ex eodem motivo bonum , puta , furari ; & non reſtituere, ad idem ſpecie vitium, nempe injuſtitiam pertinent. Et ratio utriuſque eſt : quia ſicut in naturalibus idem ſpecie motus reſpicit utrumque terminum , & a quo recedit , & ad quem accedit ; ita in moralibus tam reſpectu virtutis , quam reſpectu peccati , motus a malo ad bonum , & a bono ad malum eumdem ſpecie motum moraliter conſtituit : cumque mali proſecutio fiat per actum commiſſionis, & receſſus a bono debito , per peccatum omiſſionis ; ſi utrumque ex eodem motivo procedat , utriuſque malitia unicum moralem proceſſum , & eamdem ſpecie malitiam importabit.

XXVIII. Nec obeſt , quod contra peccatum commiſſionis , & omiſſionis dentur in lege diverſa præcepta ; nempe , præcepta negativa contra primum , & affirmativa contra ſecundum.

XXIX. Nam ut reſpondet D. Thom. cit. qu. 72. art. 6. ad 2. *Neceſſe fuit in lege Dei proponi diverſa præcepta affirmativa, & negativa , ut gradatim homines introducerentur ad virtutem ; prius quidem abſtinendo a malo , ad quod inducimur per præcepta negativa : & poſtmodum faciendo bonum , ad quod inducimur per præcepta affirmativa . Et ſic præcepta affirmativa , & negativa non pertinent ad diverſas virtutes : ſed ad diverſos gradus virtutis : & per conſequens non oportet , quod contrarientur diverſis peccatis ſecundum ſpeciem . Peccatum etiam non habet ſpeciem ex parte averſionis ; quia ſecundum hoc eſt negatio , vel privatio : ſed ex parte converſionis , ſecundum quod eſt actus quidam . Unde ſecundum diverſa præcepta legis non diverſificantur peccata ſecundum ſpeciem.*

XXX. Neque etiam ſequitur , quod ſi peccatum commiſſionis , & omiſſionis non varient ſpeciem , ſufficit in confeſſione dicere , ſe peccaſſe peccato talis ſpeciei ; non exprimendo , an fuerit commiſſionis , vel omiſſionis , cum in confeſſione ſufficiat aperire numerum, & ſpeciem peccatorum.

XXXI. Non , inquam . Etenim dato , quod non ſit neceſſe in confeſſione aperire circumſtantias intra eamdem ſpeciem notabiliter aggravantes (cujus oppoſitum ſuo loco oſtendemus) neceſſe tamen eſt aperire, & diſtinguere peccata commiſſionis, & omiſſionis; quia licet non varient ſpeciem, ſpectant tamen ad ſubſtantiam ſpeciei , ut partes eam integrantes: unde ut ſpecies integre exponatur , debent peccata commiſſionis a peccatis omiſſionis ſeorſim explicari.

QUÆSTIO III.

De Peccato Mortali , & Veniali.

CElebris eſt diviſio peccati actualis in mortale, & veniale, de qua præſentem inſtituimus quæſtionem: ut quæ de natura utriuſque , ſive inter Catholicos , & hæreticos , ſive inter ipſos Catholicos diſputari ſolent , Candidato meo innoteſcant . De quo agit D. Thom. 1. 2. *qu.* 88. *&* 89.

DUBIUM I.

An omne Peccatum natura ſua ſit Mortale ; vel potius detur aliquod peccatum natura ſua Veniale ?

§. I.

Prænotantur Aliqua.

I. NOto , quod peccatum tripliciter dici poteſt veniale . Primo . Veniale dici poteſt omne peccatum , cujus aliquis de facto veniam conſequitur : quo pacto Mariæ Magdalenæ peccata, quamvis multa , gravia, & mortalia, dici potuerunt venialia; quia omnia a Chriſto veniam ſunt conſecuta, Lucæ 7. verſ. 47. *Remittuntur ei peccata multa.* Et in hoc ſenſu loquitur S. Ambroſius *libr. de Paradiſo capit.* 14. cum de peccato Hevæ, quæ illud confeſſa veniam reportavit : *Veniabilis* (inquit) *culpa , quam ſequitur profeſſio delictorum . Ideo non deſperata mulier, quæ non reticuit Deo ; ſed magis confeſſa peccatum eſt, quam medicabilis ſecuta ſententia eſt .* Et Auctor libri *de vera & falſa Pœnitentia* olim Auguſtino falſo adſcripti , *cap.* 18. ait : *Quædam peccata ſunt , quæ ſunt mortalia, & in pœnitentia fiunt venialia .* Hujuſmodi generis peccatum vocatur a D. Thom. hic q. 82. art. 2. *Veniale ex eventu* ; quia eſt veniam conſecutum ; & ſic peccatum veniale non opponitur mortali abſolute , ſed illi tantum , quod nunquam dimittitur.

II. Secundo . Peccatum veniale dicitur , quia habet in ſe aliquam cauſam veniæ, ex parte ſaltem: quia eſto ſit puniendum æternaliter, non tamen ita graviter , ſicut alioquin eſſet puniendum ; eo quod habeat in ſe aliquid diminuens culpam, cujuſmodi eſt , quod ex infirmitate , vel ignorantia eſt commiſſum ; & hoc vocatur a S. Thoma laudato loco *Veniale ex cauſa* . Sed neque hoc conſtituit determinatum genus peccati a mortali diſtinctum.

III. Tertio . Veniale dicitur , quod , quantum eſt de ſe , veniam non excludit ; propterea quia affert quidem quamdam inordinationem in actu , ſed charitatem non extinguit , nec tollit a ſubjecto ordinem ad ultimum finem : ideoque non meretur pœnam æternam, ſed temporalem : ſive ex genere, aut objecto tale ſit, ſive propter materiæ levitatem, ſive propter inadvertentiam , & imperfectionem libertatis in operante — Hanc triplicem diviſionem brevibus verbis expoſuit D. Thom. præter locum ſupra relatum, etiam 1. 2. *quæſt.* 77. *art.* 8. *ad* 1. dicens : *Veniale dicitur tripliciter. Uno modo ex cauſa; quia, ſcilicet , habet aliquam cauſam veniæ , quæ diminuit peccatum : & ſic peccatum ex infirmitate , vel ignorantia dicitur veniale . Alio modo ex eventu ; ſicut omne peccatum per pœnitentiam fit veniale, ideſt, veniam conſequitur. Tertio modo dicitur veniale ex genere ; ſicut verbum otioſum : & hoc ſolum veniale opponitur mortali.* De veniali ergo hoc tertio modo ſermo erit.

IV. Diviſionem peccati in peccatum ex genere & natura ſua mortale , & ex genere ac natura ſua veniale , tamquam Sophiſtarum inventum (hoc enim nomine Theologos Catholicos nebulo iſte ſugillat) rejicit Calvinus; volens, omnia peccata natura ſua eſſe mortalia , & ſolis Prædeſtinatis dici venialia, quia eis non imputantur. Scribit enim l. 2. Inſt. cap. 8. §. 59. *Sanctorum delicta venialia eſſe , non ex ſuapte natura ; ſed quia ex Dei miſericordia veniam conſequuntur.* Et *lib.* 3. *c.* 4. §. 28. ait: *Fidelium peccata venialia eſſe , non quia non mortem mereantur ; ſed quia Dei miſericordia nulla eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu ; quia non imputantur, quia venia delentur.* Hauſit hunc errorem Calvinus ex parte a Joan. Vvicleffo Sacerdote Anglo , a Concilio Conſtantienſi damnato , qui Carolo IV. Imperatore , & Clemente VI. Rom. Pontif. anno 1352. docuerat, omne peccatum Prædeſtinati eſſe veniale, & omne peccatum Reprobi eſſe mortale , non ex natura ſua; ſed ex ordinatione divina . Lutherus autem omnia quidem Infidelium peccata aſſeruit eſſe mortalia; Fidelium tamen peccata omnia eſſe venialia, præter infidelitatem, quam ſolam credidit eſſe mortale peccatum . Cum enim exiſtimet fide hominem juſtificari ; dummodo fidem retineat, hominem manere juſtum coram Deo exiſtimavit.

Sunt qui Joan: Gerſonem Cancellarium Pariſienſem , & Joan: Fiſcherum Epiſcopum Roffenſem in hunc errorem trahere conentur. Sed utrumque ab hac macula abſterſi in Vera Eccleſia *Tom.* 2. *part.* 1. *art.* 10. §. 12. *num.* 67.

§. II.

Catholica Veritas ex Scriptura , & Patribus.

V. DIco . Non omnia peccata ex natura ſua ſunt mortalia; ſed dantur aliqua ex natura ſua, & non tantum ex non imputatione , venialia. Hæc catholica veritas probatur primo ex Scripturis. Nam *Matth.* 7. *v.* 3. 4. *&* 5. Quædam peccata comparantur feſtucæ in oculo , quædam trabi: feſtuca autem turbat quidem oculum , ſed natura ſua non excæcat ; ergo dantur peccata , quæ minuunt quidem charitatis fervorem , ſed natura ſua illam non extinguunt . *Matthæi* inſuper 23. *verſ.* 23. Reprehendit Chriſtus Phariſæos, quod decimarent *mentham , & anethum , & cyminum* ; reliquiſſent autem , *quæ graviora ſunt legis* : quod excolarent *culicem* , *camelum* autem devorarent ; ideſt , quod de minimis peccatis ſolliciti , graviora negligerent . Quid autem ſunt *mentha , anethus , cyminus*, gravioribus legis præceptis oppoſita , & culex camelo ; niſi peccata levia , quæ Phariſæi hypocritæ pluris faciebant , quam graviora ? Hinc D. Hieronymus in cap. 7. Matth. *Cum ipſi* (inquit) *mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt , culicem liquantes , & camelum glutientes .*

VI. Item D. Paulus 1. *Cor.* 3. *v.* 12. Inter opera, quæ homo Chriſto adhærens fundamento ſuperædificat , aliqua dicit aurum, argentum, & lapides pretioſos, quæ ſunt opera meritoria , pro quibus mercedem accipiet : alia vero eſſe lignum , fœnum , ſtipulam, quæ igne comburentur , qui tamen ea fecit, ſalvus erit; hæc autem ſunt peccata, non mortalia. Tum quia non deſtruunt fundamentum, nempe, gratiam, & charitatem, per quam Chriſto unimur . Tum quia , qui ea fecit , ſalvus erit : cum e contrario de aliis , qui graviora committunt , dicit ibi v. 17. *Si quis autem templum Dei violaverit , diſperdet illum Deus .* Et ad Gal. 5. v. 21. *Qui* (inquit) *talia agunt , regnum Dei non conſequentur* ; ergo ſunt peccata natura ſua levia , venialia , & ſalutem æternam non impedientia . Textum hunc Pauli *ad Cor.* fuſe expendimus in Vera Eccleſia *Tom.* 2. *Part.* 1. *art.* 10. §. 4. ubi Calvini falſas interpretationes rejecimus . Unde illuc Lectorem remitto .

VII. Chriſtus quoque idem aſſeruit . Tum *Matth.* 5. *v.* 22. his verbis : *Ego autem dico vobis , quia omnis , qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio ; qui autem dixerit fratri ſuo rhaca, reus erit concilio : qui autem dixerit , fatue , reus erit gehenna ignis .* Ubi cum ex illis tribus peccatis ; tertium duntaxat puniatur gehenna ignis , hoc eſt pœna æterna , cætera autem duo pœna minori , & temporanea ; clarum eſt , Chriſtum docere , ſolum tertium eſſe peccatum mortale, hoc eſt, æterna morte dignum , duo autem priora venialia eſſe ; quia non ex deliberatione , ſed ſubitaneo iræ motu abſque plena advertentia procedentia . *Rhaca* (inquit S. Jo: Chryſoſtomus Hom. 16. in Matth.) *non grandis alicujus eſt ſermo convicii : ſed magis de contemptu veniens impatientia dicentis ; ut ipſi nonnunquam, vel ſervulis, vel inferioribus quibuſcumque aliquid imperantes, dicimus*, vade tu, dic illi; *ſed etiam qui utuntur lingua Syrorum*, Rhaca , *pro eo, quod eſt , tu , dicere ſolent : ſed miſericors Dominus cum majoribus etiam minima quæque delicta evellit , præcipiens , ut mutuo nobiſmetipſis , & honorabilius utamur, & cautius, ut per hæc majora quoque peccata moriantur .* Deinde enumeratis multis , iiſque graviſſimis conviciis, & peccatis, quæ ex illis oriri ſolent, pergit: *Quæ omnia Chriſtus jam comprimens , eum quidem , qui ſine cauſa iraſcitur, judicio condemnat, & idcirco dicit : qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa , reus erit judicio ; eum vero , qui dixerit* Rhaca , *reum pronuntiat eſſe concilio, ſed adhuc iſta non magna ſunt &c.* Videantur , quæ circa hunc textum diximus *in Vera Eccleſia Tom.* 2. *Part.* 1. *art.* 10. §. 12. *a num.* 74.

VIII. His adjungi poteſt illud *Matth.* 6. 12. ubi Chriſtus modum orandi docens omnes etiam juſtos , ac Prædeſtinatos , vult, ut dicant Deo : *Dimitte nobis debita noſtra*, quæ debita ſunt peccata. Supponit ergo Chriſtus, in juſtis , & Prædeſtinatis eſſe peccata, pro quibus a Deo remiſſionem petere debent; ſed hæc mortalia non ſunt; quia, ſecundum Calvinum, prædeſtinatis, & juxta Lutherum , fidelibus non imputantur ; ergo ſunt peccata levia, quæ vocamus venialia . Ita S. Aug. *Epiſt.* 108. modo 265. *ad Seleucianum* , dicens , illa peccata , pro quibus quotidie dicimus : *Dimitte nobis debita noſtra* , eſſe peccata quotidiana ; *illa utique, quæ humanæ fragilitati , quamvis parva , tamen crebra ſubrepunt : quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt , & oppriment , ſicut unum grande peccatum . Quid enim intereſt ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur , & obruatur , an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta , atque contempta impleat navem , atque ſubmergat ?* Non quia peccata venialia ſimul collecta evadant mortale ; ſed quia aſſuetus negligere parva , diſponitur ad graviora , juxta illud Eccleſiaſtici 19. v. 1. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet* . Idem docet *Hom.* 19. *inter* 50. modo *Serm.* 388. his verbis : *Non me latet, vitam iſtam mortalem , & in carne corruptibili conſtitutam ſine peccatis eſſe non poſſe : ſed illa quotidiana , & levia habent etiam ſua lavacra quotidiana . Hoc eſt , quod pectus tundimus , & dicimus in oratione Domino Deo noſtro :* Dimitte nobis debita noſtra . . . . *Non enim ſine cauſa hoc dicimus, aut vero ipſe cæleſtis Magiſter doceret iſtam orationem , niſi nos peccatores eſſe prævideret . Vidit enim , quæ cavere debeamus , & vidit , quæ cavere difficile ſit . Omnia autem cavere , impoſſibile eſſe judicavit , qui iſtam orationem quotidianam , non quoslibet Chriſtianos , ſed ipſos Apoſtolos docuit .* Inde allato textu D. Joann. Epiſt. 1. c. 1. v. 8. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus , nos ipſos decipimus , & veritas in nobis non eſt ;* ne quis putaret, per iſta quotidiana peccata, venire etiam quotidianas fornicationes, latrocinia, & homicidia, ſubjungit: *Quod enim Deus ſtatuit propter levia peccata, ille putat , ad illa gravia ſibi poſſe opitulari* . Monens ipſum , ut illa gravia prius pœnitentia purget, & relinquat , ut ſic de levibus dicere poſſit: *Dimitte nobis debita noſtra .*

IX. Conſentiunt S. Ambroſius l. 2. de Pœnitentia c. 10. *Quotidiani* (inquit) *nos debet pœnitere peccati ; ſed hæc* (pœnitentia) *delictorum leviorum, illa graviorum.* S. Hieronymus ad cap. 2. Jerem. *Qui levi peccatorum ſorde maculatus eſt, levioribus purgatur monitis . Porro peccata graviora , quæ ad mortem trahunt , nec nitro, nec herba Borith dilui poſſunt , ſed gravioribus tormentis indigent.* Agnoſcit ergo peccata ſua natura levia , quæ levioribus monitis purgantur , nec ad mortem trahunt ; & alia , quæ trahunt ad mortem , & gravioribus tormentis indigent . Tandem laudatus Auguſtinus libr. de Spiritu , & littera c. 18. *Sicut enim* (inquit) *non impediunt a vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur : ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera , ſine quibus difficillime vita cujuſque peſſimi hominis invenitur* . Lib. de Nat. & gratia c. 38. Hæc venialia peccata etiam in juſtis fuiſſe , docet . Et *lib.* 1. *contra duas Epiſt. Pelagian. cap.* 14. diſtinguens inter peccata , & crimina , dicit, quod eſto multi ſint ſine crimine , nullus tamen eſt ſine peccato : & propterea omnes dicere debent : *Dimitte nobis debita noſtra*, etiamſi ſint fideles, & baptizati ; & hanc dicit eſſe fidei catholicæ ſanitatem contra hæreticam vanitatem . Quibus Lutherum condemnat, volentem, fideles nullius peccati eſſe obnoxios .

X. Merito igitur Concilii Milevitani Patres , inter quos fuit S. Au-

S. Auguſtinus anno 416. *Can. 7. & 8.* ſub anathemate definierunt, Sanctos pro ſeipſis veraciter dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*. Intelligebant quippe; dari aliqua peccata, quæ cum ſanctitate cohærerent, quam doctrinam, tradit Conc. Trid. *Seſſ. 6. c. 11.* dicens: *Licet enim in hac mortali vita quantumvis Sancti, & juſti in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant; non propterea deſinunt eſſe juſti: nam juſtorum illa vox eſt, & humilis, & verax, dimitte nobis debita noſtra.* Quapropter S. Pius V. (& poſt ipſum Greg. XIII. & Urban. VIII.) propoſitionem Baii hanc, ordine vigeſimam, jure confixit: *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

§. III.

Eadem Catholica Veritas Rationibus ſuadetur.

XI. Primo occurrit ratio, qua utitur D. Th. hac *q. 88. art. 1.* Peccatum eſt quædam animæ infirmitas, juxta illud Pſalm. *6. v. 3. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine*; ergo de peccatis diſcurrendum eſt, ſicut de infirmitatibus corporis: atqui inter iſtas quædam ſunt graves, & mortales, quæ mortem inducunt, & auferunt principium vitæ: quædam vero leves, quæ principium vitæ non tollunt, quamvis ad id diſponant; ergo & in peccatis, quædam ſunt natura ſua gravia, & mortalia, quæ mortem ſpiritualem afferunt, privando gratia, & charitate, quæ ſunt vita animæ; quædam levia, quæ eſto ad hoc diſponant, ſi non curentur, de ſe tamen non valent eam cauſare.

XII. Secunda ratio eſt. In amicitia humana quædam ſunt leves offenſæ, quæ amicitiam non ſolvunt; ergo ſimiliter in divina. Quis enim dicat, quod riſus ſuperfluus, aut verbum otioſum ex natura ſua amicitiam Dei ſolvat, & hominem æterna morte dignum faciat; & ſolum ex gratia, & miſericordia Dei fiat venialis?

XIII. Confirmatur primo. Nimis auſterus, & inconſtans eſſet Deus, ſi apud ipſum leviſſima offenſa, puta, riſus ſuperfluus, aut verbum otioſum, tanti fieret; ut, propter ipſam, amicitiam cum homine contractam diſſolveret, & homo æterna pœna eſſet puniendus, imponens homini jugum, non ſuave, & onus non leve, ut ipſe teſtatur *Matth. 11. v. 29.* ſed grave, aſperum & durum. Cum ergo Deus hominem non deſerat, neque avertatur ab homine, niſi homo avertatur a Deo, eumque deſerat; nec homo proferens verbum otioſum, aut quid aliud leve committens, Deum deſerat, aut a Deo avertatur; patet, Deum ab eo non averti, nec eum ut inimicum habere.

XIV. Confirmatur ſecundo. Verbum otioſum eſt peccatum; nam de eo reddituri ſumus rationem in die judicii, Chriſto teſte, Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*: ſed non eſt peccatum mortale: quis enim exiſtimare poterit, verbum otioſum, & inconſiderate prolatum, tantam eſſe offenſam natura ſua: ut afferat animæ mortem, & propter eam ſubiturus ſit homo æternam pœnam? Propterea non dixit Chriſtus, de omni verbo otioſo pœnas æternas luent, ſed *reddent rationem*. Aliud enim eſt verbum pure *otioſum*, quod caret aliqua utilitate; aliud verbum *criminoſum*, quale eſt blaſphemia in Spiritum Sanctum. Quare diſcurſus Chriſti, teſte S. Hieron. *in cap. 12. Matth.* eſt iſte: *Si otioſum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non eſt abſque periculo ejus, qui loquitur; & in die judicii redditurus eſt, unuſquiſque rationem ſermonum ſuorum: quanto magis vos, qui opera Spiritus Sancti calumniamini, & dicitis, me in Beelzebub principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia: reddituri eſtis rationem calumniæ veſtræ? Otioſum verbum eſt, quod ſine utilitate, & loquentis dicitur, & audientis, ſi omiſſis ſeriis de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterum qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſolvit, & aliquid profert turpitudinis, hic non* otioſi *verbi, ſed* criminoſi *tenebitur reus.*

XV. Reſponſio communis Hæreticorum eſt: aliud eſſe, quod omnia peccata ſint natura ſua mortalia, aliud, quod omnia omnibus imputentur ad mortem: omnia quidem ſuapte natura merentur mortem; ſed non omnibus imputantur. Imputantur quidem infidelibus, ait Lutherus, & reprobis, ait Calvinus, non tamen Fidelibus, aut Prædeſtinatis.

XVI. Sed contra. Plura enim eſſe peccata, præter infidelitatem, eaque imputari ad mortem, contra Lutherum, conſtat ex Scripturis; præſertim *Jacobi 2. v. 4.* ubi dicitur, fidem ſine operibus mortuam eſſe: *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?* Atqui ſi habenti fidem peccata non imputarentur, etiamſi opera non haberet charitatis, ſed eſſet omnibus criminibus irretitus, adulter, fornicarius, fur &c. adhuc fides poſſet ſalvare eum, quia faceret, ut omnia peccata eſſent illi venialia; ergo &c. Ulterius: alia peccata enumerat Paulus, præter infidelitatem, quæ erunt hominibus ad mortem æternam 1. Cor. *6. v. 9.* & 10. *Nolite errare* (inquit) *neque fornicarii, neque Idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles . . . Regnum Dei poſſidebunt.* Ubi, præter infidelitatem, quæ Idolorum ſervitus eſt, alia peccata a Regno Cælorum excludentia recenſet. Ne autem Fideles ea ſibi non imputari, dum per fidem unum ſunt cum Chriſto, exiſtimarent, ſubjungit v. 18. *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Quomodo autem alia peccata extra corpus ſint, ſola fornicatio in corpus ſuum peccet, varie exponit S. Thom. in *1. ad Cor. cap. 6. lect. 3.*

XVII. Contra Calvinum vero ſic primo urgeo. Adamus e numero Prædeſtinatorum fuit, ut contra Tatianos oſtendimus ſuperius *q. 6. Dub. 4.* & tamen comeſtio ligni vetiti fuit imputata ad peccatum mortale: eadem ratione Davidi imputatum fuit adulterium, & homicidium: Mariæ Magdalene, quæ fuit in Civitate peccatrix, plura peccata; & D. Petro trina negatio, qui tamen erant de numero Electorum. Secundo. Si reprobis nullum peccatum remittitur, & Prædeſtinatis nullum imputatur; ergo in utriſque ſuperfluus eſt Baptiſmus, & pœnitentia: illis, quia peccatum non remittitur; iſtis quia peccatum non imputatur. Tertio. Tam prædeſtinatus, quam reprobus poſſet ſe tradere omni iniquitati, ſi uterque certus eſſet; ille, ea ſibi non fore imputanda, iſte, ſibi non fore dimittenda. Ex quo ſequeretur etiam, Deum fore acceptatorem perſonarum, imo & injuſtum. Quarto. In eodem genere peccati non levius peccant renati, & Prædeſtinati, quam Infideles, & reprobi, ſed gravius, ut docet Div. Thom. *1. 2. qu. 73. a. 10.* partim; quia majori lumine, & cognitione donati juxta illud Lucæ 12. v. 47. & 48. *Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Partim, quia majoribus beneficiis cumulati, magis ingrati exiſtunt. Unde eo major fuit divina indignatio contra peccata populi Judaici; quia majoribus beneficiis auctus, ingratus fuit, ut Scriptura paſſim teſtatur. Tantum igitur abeſt, quod Fidelibus, ac Prædeſtinatis peccata a Deo non imputentur, quod potius magis eis imputantur.

§. IV.

Hæreticorum Fundamenta.

XVIII. Calvinus, aliique Heterodoxi multis Scripturarum textibus errorem ſuum confirmare, & velut quadam mole nos obruere conantur. Eos tamen monet Hieronymus l. adv. Luciferianos in fine. *Ne ſibi blandiantur, ſi de Scripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt; cum & Diabolus de Scripturis aliqua ſit loquutus, & Scripturæ non in legendo conſiſtant, ſed intelligendo.* Hoc autem ita eſſe in caſu præſenti, ſequentibus apparebit.

XIX. Primum ergo teſtimonium, quod objiciunt, ſumitur ex Ezechiel. c. 18. v. 20. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*: & Paulo Rom. *6. v. 23. Stipendia peccati mors.* Conſequens igitur eſt, omne peccatum eſſe mortale, & inferens mortem animæ.

XX. Reſpondeo, intentum Ezechielis eſſe, oſtendere, peccata Patris non puniri in filiis, aut e contra; unde ſubdit: *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii*; ſed qui peccavit, ipſe morietur. At quocumque peccato? Nequaquam. Scilicet, qui peccaverit, ſerviens idolis, uxorem alterius polluens, furta, & rapinas exercens, pauperi injurians, & ſimilia: quæ peccata mortalia, & quidem graviſſima eſſe, quis non videt? Paulus autem loquitur de peccatis, quibus exhibentur membris ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ut *verſ. 19.* Quare in conſequentia vitium eſt, dum ex quo aliqua peccata generant mortem, inferunt; ergo omne peccatum generat mortem.

XXI. Secundum ſumitur ex illo Matth. *5. verſ. 19.* ubi Chriſtus ait: *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum*, ideſt, *nullus vocabitur*, ut exponit Calvinus. Cui conſonat illud Jacobi 2. v. 10. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*; ergo peccatum quantumcumque minimum, ſemper eſt mortale.

XXII. Reſpondeo, neg. conſ. Neque enim Chriſtus dicit, eum fore minimum in Regno Cælorum, qui tranſgreſſus fuerit aliquod minimum mandatum; ſed qui falſa interpretatione corruperit: hoc enim indicant illa verba: *Qui ſolverit, & docuerit ſic*: ideſt (ait Aug. l. 1. de Serm. Dom. in Monte c. 8.) *ſecundum id, quod ſolvit, non ſecundum id, quod invenit, & legit.* Sic erit minimus in Regno Cælorum (hoc eſt viliſſimus, & abjectiſſimus in reſurrectione, atque adeo excludendus a beatitudine) qui unum de mandatis iſtis, in ejus opinione minimis, ſolverit, & falſa interpretatione docuerit alios ſolvere. Hoc enim ſignificant illa verba: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines.* Quod faciebant Scribæ, & Phariſæi, contra quos ibi agit Chriſtus. Nam præceptum de homicidio, adulterio, & proximi dilectione ſic interpretabantur, ut dicerent; externum quidem homicidium, & adulterium lege prohiberi, non autem iram, & concupiſcentiam interiorem: & amicos quidem diligendos eſſe, non autem inimicos.

Addi etiam poteſt, mandata minima illic non intelligi ea, quæ ſolum obligant ſub peccato veniali, ſed ea, quæ in opinione Phariſæorum reputabantur minima, dum eis proprias traditiones, earumque obſervantiam anteponebant: quos propterea Chriſtus corrigit. Ita S. Hieronymus in hoc caput.

XXIII. Quod vero ex Jacobi ſecunda objicitur, non favet Adverſariis. Nam Jacobus ibi loquitur de tranſgreſſione unius ex præceptis Decalogi, quæ certe peccatum mortale eſt: unde ſubdit v. 11. *Qui enim dixit non mœchaberis, dixit, & non occides. Quod ſi non non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* Qui autem legem in uno tranſgreditur, puta, occidendo, factus eſt omnium reus; quia unica offenſa mortalis, cum privet hominem charitate, ſufficit ad eum perdendum.

Non autem omnem offenſam eſſe mortalem, indicat idem c. 3. v. 2. *In multis* (inquit) *offendimus omnes*: nec tamen concederet, omnes factos eſſe reos omnium præceptorum. Neceſſe eſt ergo dicere, quod c. 3. loquitur de parvis offenſis. Et c. 2. de magnis.

XXIV. Tertium ſumitur ex illo Joann. 13. *v. 8.* Ubi Chriſtus Petro ait: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*: loquebatur autem de ablutione a peccatis, quæ nos vocamus venialia; ergo & iſta natura ſua ſunt mortalia, cum excludant a Regno Cælorum.

XXV. Reſpondeo cum D. Th. in dictum *cap. Joann. lect. 2.* verba illa referri poſſe ad factum, & ad ſignatum per illud. Si referantur ad ſignatum; ſenſum faciunt, quod nullus habiturus ſit partem in Regno Cælorum, niſi emundetur per Chriſtum. Si vero referantur ad factum: eſto ablutio illa a parvis ſordibus, non eſſet neceſſaria abſolute ad ſalutem; erat tamen neceſſaria, ut præcepta a Chriſto; vel quia prævidebat, Petrum ex tali inobedientia viam ſibi paraturum ad graviora peccata, quibus habiturus non eſſet partem ſecum.

XXVI. Quartum teſtimonium ſumitur ex illo Matth. 10. v. 42. *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Ex quo ſic arguunt. Minimum opus bonum meretur vitam æternam: ergo opus malum, etiam minimum, meretur pœnam æternam.

XXVII. Reſpondeo, diſt. ant. Minimum opus bonum factum ex charitate, vel charitati conjunctum, ut in homine juſto, conc. ant. Sic autem quamvis ex ſuo genere minimum, ex modo tamen, quo exercetur, eſt opus excellentiſſimum charitatis. Minimum opus præciſe ſpectatum, & ex ſua morali honeſtate, ac ſine gratia, & charitate, meretur &c. neg. ant. & ſimiliter, diſt. conſeq. Minima peccata ex ſua natura, & in homine juſto, in quo nullum eſt mortale, merentur &c. neg. conſeq. Conjuncta cum mortalibus in peccatore, & quaſi per accidens, conc. conſ. Sicut ergo opus bonum, etſi alias minimum, quia tamen interdum ordinatur in Deum ut ultimum finem; meretur præmium æternum: ita peccatum veniale, quia natura ſua non deordinat a Deo ultimo fine, pœnam æternam non meretur.

XXVIII. Sed dicunt. Pro animabus illorum, qui cum ſolis peccatis venialibus moriuntur, Eccleſia orat, ut Chriſtus liberet eas *de morte æterna, de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus*: ſentit ergo, quod pro talibus poſſent ad pœnas æternas damnari, ſi rigor juſtitiæ ſervaretur. Eo vel maxime, quia abſque ulla injuſtitia poſſet Deus peccatum etiam minimum æternaliter punire.

XXIX. Reſpondeo, neg. conſeq. Cum enim Eccleſia non ſit certa de ſtatu morientium, ſintne magnis, an parvis peccatis obnoxii; eſto confidere poſſit de multis, quod ſine mortali peccato decedant, tutius exiſtimat, etiam pro ipſorum animabus petere a Deo, ne abſorbeat eos tartarus, ut liberentur a morte æterna: præſertim cum preces illæ dirigantur ad horam mortis; ac perinde loquatur de illis, ac ſi tum e corpore migrarent, neque adhuc ſententiam Judicis finalem accepiſſent. Quomodo etiam partim in Adventu, partim in Nativitate Domini perinde orat, ac ſi Deus foret incarnandus, vel naſciturus dicens: *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum. Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Spiritus S. in te deſcendet Maria. Orietur ſicut Sol Salvator Mundi, & deſcendet in uterum Virginis*; repræſentando myſterium olim factum, & petendo, fructum ejus nobis applicari. Ita repræſentando liberationem a morte æterna, quam pie credit ſecutam in hora mortis, per merita Chriſti, Eccleſia petit, ut per eadem liberetur etiam a pœna temporali, quæ forte ſupereſt ei luenda. Quæ bene notanda ſunt.

Ad id, quod additur dico, quod Deus tamquam Judex, & vindex peccati non poteſt peccatum veniale ſeparatum a mortali, per ſe, æternaliter punire: poſſet tamen talem hominem tali peccato obnoxium ſic punire, ſeu verius affligere, tamquam abſolutus Dominus, qui poteſt re ſua uti, prout voluerit.

XXX. Objiciunt deinde auctoritatem S. Auguſtini, qui l. 9. Conf. c. 13. *Væ* (inquit) *etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam*; ergo illis, qui tantum parva habent peccata, æterna damnatio manet, niſi miſericorditer cum illis agatur. Unde idem Auguſtin. *l. 2. de Peccat. merit. c. 3.* ait: *Quis enim cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ de hac vita migraret, manente illa ſententia: quod* Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, *niſi poſt paululum ſequeretur . . . .* ſuperexaltat autem miſericordia judicium?

XXXI. Baſilius item *in Reg. brevioribus ad interrogat. 4.* ſcribit, nulla peccata exiſtimanda eſſe minuta. Et *ad interrogat. 293.* ait, differentiam minorum, & majorum peccatorum nuſquam in novo Teſtamento inveniri.

XXXII. Reſpond. ad primum Auguſt. teſtimonium, nego conſ. Non enim vult Auguſtinus, quod iis, qui parva habent peccata, æterna maneat damnatio; ſed ſolum, quod niſi eis divina miſericordia condonentur, & niſi ab eis mundentur, non poterunt in Regnum Cælorum ingreſſum habere, in quod nihil immundum, & coinquinatum intrabit. Hanc autem eſſe S. Auguſtini mentem, conſtat ex eodem *l. 9. Conf. cap. ultimo*, ubi rogat lectores, ut pro matre ſua defuncta orent: *Ut* (inquit) *conſequatur Dei miſericordiam*: atqui defunctis non fit miſericordia, remittendo peccata mortalia, ſed venialia tantum; ergo horum miſericordia cuique ad ingreſſum in vitam æternam eſt neceſſaria.

Ad ſecundum ejuſdem Auguſtini auctoritatem dico, ſimiliter eum ſolum velle, quod nemo certus de adipiſcenda ſalute ex hac vita migraret, niſi miſericordia ſuperexaltaret judicium, propter venialia, quorum conſcius eſt; maxime quia certus non eſt, peccatum, quod ſibi veniale apparet, non eſſe coram Deo mortale: *Nihil enim* (ajebat Paulus 1. Cor. 4. v. 4.) *mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.* Unde Eccleſiaſtæ *9. v. 1. Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit.* Locum autem illum Jacobi intelligit Auguſtinus de iis, qui ſic offendunt, ut frangendo legem, amittant charitatem: hanc autem non amitti, niſi per peccatum mortale, oſtendit *Epiſt. 29. modo 167. ad Hieronymum*, ubi exponit præfatum Jacobi dictum.

XXXIII. Baſilius autem (ſi tamen illarum reſponſionum ipſe auctor ſit) ſolum vult, nullum eſſe peccatum ita parvum, ut vel contemni, vel pro nullo haberi debeat, & de hoc nullam mentionem in novo Teſtamento fieri: unde *ad Interrogat. 4.* dicit: *Nihil omnino tamquam minutum contemni debere.* Et ad Interrogat. 267. id declarat exemplo ejus, qui febri, & aliis præterea morbis laborat, & illius, qui ſola febri angitur: uterque enim eget curatione, licet unus acriori, alter remiſſiori.

XXXIV. Objiciunt præterea rationes, quarum prima eſt. Omne peccatum eſt contra legem Dei; ergo omne peccatum eſt mortale, juxta illud Deuteron. 27. v. 26. *Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis hujus.*

Secunda. Omne peccatum offendit Deum, qui eſt infinita bonitas; unde eſt offenſa gravitatis infinitæ.

Tertia. Qui vel unum peccatum committit, qualecumque illud ſit, hoc ipſo non diligit Deum ex toto corde; ergo violat primum & maximum mandatum; ergo peccat mortaliter.

Quarta. Omnis remiſſio cujuſcumque peccati pertinet ad miſericordiam; ergo, ſiſtendo intra limites juſtitiæ, ea peccata, quæ dicuntur venialia, merentur æternam damnationem.

Quinta. Deus abſque ulla injuſtitia poſſet peccatum etiam minimum æternaliter punire; ergo ex ſe talem pœnam meretur. Imo pœna mortis æternæ non eſt tam mala, quam peccatum, quod dicitur veniale.

XXXV. Reſpondendum ad ſingulas. Ad primam dico, quod omne peccatum eſt quidem contra legem Dei; ſed non omne peccatum eſt contra finem legis, nempe, contra charitatem. Locus autem Deuteronomii loquitur de eo, qui ſciens, volens, non ſervat ea præcepta, quorum in illo capite fit mentio, ſunt autem ea, quæ prohibent idololatriam, inceſtum, homicidium, hic enim certe maledictioni ſubjectus eſt: non vero de eo, qui delinquit venialiter; alioquin juſtus, qui *ſepties in die cadit*, multis maledictionibus eſſet obnoxius.

XXXVI Ad ſecundam dico, non omne peccatum ſic offendere Deum, ut ſolvat amicitiam cum Deo; ſed ſolam offenſam gravem, de qua Jacobus citatus: *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus*; quia importat receſſum a Deo, ut ultimo fine: non autem offenſam levem, de qua idem Jacobus c. 3. v. 2. *In multis* (inquit) *offendimus omnes*; hæc enim non dicit receſſum a Deo ultimo fine, nec ſolvit amicitiam cum ipſo. Quamvis autem ſit offenſa Dei infinita, non eſt tamen offenſa in morali æſtimatione infinita: quia ipſum infinite quoad affectum non offendit, auferendo ab eo rationem ultimi finis, eumque poſtponendo creaturæ; ſed ſolum divertendo actum ab ordine ad ipſum, ut dicemus.

XXXVII. Ad tertiam, diſt. ant. Non diligit Deum ex toto corde, actu, conc. ant. habitu, neg. ant. Diligere Deum ex toto corde, eſt, ita eum diligere, ut nihil dilectioni ejus anteponatur; vel ut nullam creaturam ita diligamus, ut propter illam parati ſimus Deum relinquere. Qui autem peccat venialiter, eſto actu Deum non diligat, non deſinit tamen eum toto corde diligere; quia animo paratus eſt, amorem Dei amori cujuſcumque creaturæ præponere.

XXXVIII. Ad quartam, neg. conſ. Quamvis enim remiſſio peccatorum venialium pertineat ad miſericodiam, & non debeatur ex juſtitia: illi tamen, qui ſola peccata venialia habet, ineſt principium internum, non ſolum damnationem æternam excludens, nempe, charitas; ſed etiam faciens, ut Deus conſentanee ad naturas rerum operans, ex quadam condecentia moveatur ad non negandam veniam ei, qui ſecundum illud principium operatur. Ratio namque amicitiæ, quæ inter Deum, & hominem juſtum manet, ſuo quaſi jure poſtulat, ut Deus leves culpas ei condonet; dum vera pœnitentia ductus veniam petit, aut charitate in ipſum fertur. Sicut in humanis lex amicitiæ, quæ inter Principem, & vaſſallum intercedit, poſtulat, ut leves offenſiones, quas vaſſallus, amicitia non violata, commiſit, ipſi veniam petenti, & ſupplicanti condonet; quamvis ad earum remiſſionem Princeps ex juſtitia non teneatur.

XXXIX. Ad quintam, jam dictum eſt, quod eſto Deus agens, ut Dominus, poſſit æterna pœna peccatum veniale mulctare, non tamen agens ut Judex —— Quod autem pœna mortis æternæ non ſit tam mala, quam peccatum etiam leviſſimum, hoc ideo eſt, quia eſt malum alterius ordinis. Nam pœna non eſt contra rectam rationem, neque contra leges, ſed tantum contra commoditatem naturæ. At peccatum eſt contra rectam rationem, & contra divinam legem; ac proinde magis fugiendum, ac deteſtandum, quam quælibet pœna. Ex quo tamen non ſequitur, quod in ratione demeriti ſuperet, vel adæquet malum pœnæ æternæ ſecundum exigentiam juſtitiæ vindicativæ; cum ſecundum hanc debita proportio ſit, quod parvo peccato parva pœna reſpondeat.

D-

Dubium II.

In quo veniale Peccatum differat a Mortali.

§. I.

Varia inter utrumque Differentia.

I. Differentiam inter peccatum mortale, & veniale ſtatuunt aliqui in hoc, quod illud ſit contra præceptum, iſtud vero contra conſilium: hæc tamen non ſubſiſtit. Primo. Quia agere contra conſilium non eſt peccatum, ut conſtat ex 1. *Cor.* 7. ubi quamvis Paulus cælibatum proponat ut conſilium, idque conformiter ad ea, quæ Dominus dixerat Matth. 19. addit tamen v. 18. *Si acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Et ratio eſt: quia, ut conſtat ex ejus definitione, omne peccatum cum ſit prævaricatio, debet eſſe contra aliquod præceptum, vel legem aliquo modo obligantem: *Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio* Rom. 4. v. 15. ſed conſilium, ut tale, nec inducit obligationem, nec habet vim legis, ergo &c. Accedit: quod peccatum veniale eſt malum morale: quod autem præciſe eſt contra conſilium, poteſt eſſe moraliter bonum: cum conſilium ſit de meliori bono, cui quod opponitur eſt quidem minus bonum, non tamen eſt malum. Quare conjugium eſto ſit minus bonum, quam cælibatus, non tamen eſt malum, ſed bonum. Debet ergo peccatum veniale eſſe contra aliquam legem: & ideo de mendaciis jocoſis, & officioſis datur lex prohibens, Eccleſiaſtici 5. v. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Similiter de levibus motibus iræ ad Epheſ. 4. v. 31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor . . . tollatur a vobis.* Et concupiſcentiæ Rom. 7. v. 7. *Non concupiſces.* De furtis quoque levibus dicitur Exod. 20. v. 15. *Non furtum facies.*

II. Hinc in rigore non ſubſiſtit opinio, quæ diſtinguit peccatum mortale a veniali; quod peccatum mortale ſit contra legem, veniale autem non ſit contra, ſed præter legem —— Neque dicas, hoc diſcrimen aſſignari a D. Th. 1. 2. *q.* 88. *a.* 1. *ad* 1. Nam S. Doctor non ſic vult, peccatum veniale eſſe præter legem, quaſi non ſit prævaricatio alicujus legis; ſed ſolum, non ita eſſe contra legem, ut finem legis evertat: ſed tantummodo *non obſervet modum rationis, quem lex intendit.* Vel ut ait *Q.* 7. *de Malo a.* 1. *ad* 1. non ſic ab eo ordine recedat, ut illum corrumpat: *quia non corrumpit charitatem, quæ eſt plenitudo legis.*

III. Nec recte etiam explicari videtur diſtinctio peccati mortalis a veniali, dicendo: quod mortale verſetur circa ultimum finem, & veniale circa ea, quæ ſunt ad finem. Dantur enim aliqua peccata venialia, quæ verſantur circa finem ultimum; ut indeliberati motus infidelitatis, vel diffidentiæ de Deo, blaſphemia in Deum ex ſubreptione procedens, abſque perfecta rationis advertentia. Et e converſo, reperiuntur etiam peccata mortalia, quæ verſantur circa ea, quæ ſunt ad finem; ut adulterium, homicidium, furtum, & hujuſmodi.

IV. Neque dicatur, hoc diſcrimen probari a D. Th. tum hac *q.* 88. *a.* 1. tum 2. 2. *q.* 24. *a.* 10. tum alibi. Nam D. Th. hoc nunquam dixit: ſed quod peccatum mortale ponit inordinationem circa finem, ſeu evertit ordinem, ſeu conjunctionem hominis cum ultimo fine; in quantum hominem ab eo ſeparat & avertit: ſive interim actus iſtius peccati verſetur proxime circa finem, ſive circa media. Peccatum autem veniale ſolum ponit inordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem; quia per illud homo afficitur rebus creatis pluſquam deberet: non ſic tamen, ut propter illas vellet ab ultimo fine recedere, aut averti; ſive ordinem, quo ad illum eſt habitualiter converſus, corrumpere. Quare aliud eſt, quod D. Th. doceat, peccatum veniale verſari tantum circa ea, quæ ſunt ad finem; aliud, quod ponat inordinationem ſolum circa ea, quæ ſunt ad finem. Hoc ſecundum docet, non primum.

V. Porro hanc eſſe mentem S. Doctoris, colligo aperte tum ex hac *q.* 88. *a.* 1. ubi ait, peccata venialia vocari, *quæ habent inordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem, conſervato ordine ad ultimum finem*; & *q.* 87. præcedente *a.* 5. *In quibuſdam peccatis* (inquit) *eſt quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarietatem ad ultimum finem: ſed ſolum circa ea, quæ ſunt ad finem, in quantum plus, vel minus debite eis intenditur, ſalvato tamen ordine ad ultimum finem: puta, cum homo, etſi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum offendere, aliquid contra præceptum ejus faciendo*: nimirum, ordinem, quo Deo conjungitur, evertendo, aut ejus amicitiam violando.

VI. Dices. Qui per ſubitaneum infidelitatis, vel diffidentiæ, vel odii Dei motum venialiter peccat, inordinate afficitur erga Deum; ergo peccata venialia non habent inordinationem circa media, ſed etiam circa finem; cum Deus ſit finis ultimus.

Reſpondeo, nego conſeq. Nam licet præfati motus habeant inordinationem circa Deum, ut objectum eorum; relinquunt tamen debitam ordinationem hominis ad Deum, ut finem: cum non avertant a Deo, ut fine ultimo, nec evertant conjunctionem hominis cum illo, ut ſuperius dictum eſt.

§. II.

Præcipua Differentia.

VII. Dico. Potiſſima differentia inter peccatum mortale, & veniale in hoc ſita eſt, quod peccatum mortale tollit ordinem, conjunctionem hominis cum Deo, ut ultimo fine, ideſt, chaaitatem: peccatum autem veniale iſtum ordinem, atque adeo charitatem non tollit; ſed ſervato eo ordine, aliquam inordinationem facit circa ea, quæ ſunt ad finem. Ita D. Th. *q.* 88. *a.* 1. Seu aliis terminis: per peccatum mortale homo ſimpliciter avertitur a Deo, ut ultimo fine; ac finem ultimum conſtituit in creatura, quam exercite pluris facit, quam Deum, & plus amat, quam ipſum: per veniale autem homo non ſimpliciter avertitur a Deo, neque ſuum finem ultimum conſtituit in creatura, ſed, ſi ſit extra ſtatum peccati mortalis, manet Deo habitualiter conjunctus, quamvis in eum non ſic ordinate tendat, ſicut deberet. Hinc D. Th. citato *a.* 1. *ad* 2. dicit: *Quod ille, qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fruens, quia non conſtituit in eo finem; ſed ut utens, referens in Deum non actu, ſed habitu.*

VIII. Nec enim tenetur homo, ſub mortali, actu referre omnia ſua in Deum; quamvis dicat Paulus 1. Cor. 12. v. 31. *Omnia in gloriam Dei facite* —— Nam reſpondet D. Th. laudato loco ad 2. *Quod illud præceptum Apoſtoli eſt affirmativum: unde non obligat ad ſemper. Et ſic non facit contra hoc præceptum, quicumque non actu refert in gloriam Dei omne, quod facit. Sufficit ergo, quod aliquis habitualiter referat ſe, & omnia ſua in Deum, & hoc, quod non ſemper mortaliter peccet: cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter. Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei, ſed ſolum actualem; quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat ad Deum.*

IX. Neque dicas. Quicumque accedit ad unum terminum, ex hoc ipſo recedit ab alio: ſed quicumque peccat, accedit ad bonum commutabile; ergo hoc ipſo recedit a bono incommutabili, nempe, a Deo: & ſic differentia aſſignata non ſubſiſtit.

X. Reſpondet enim D. Th. citato loco *ad* 4. nego min. Nam *bonum commutabile non accipitur, ut terminus contrapoſitus incommutabili bono, niſi quando conſtituitur in eo finis. Quod enim eſt ad finem, non habet rationem termini.* Eodem modo reſpondet *Q.* 7. *de Malo a.* 1. *ad* 3.

XI. Ex hac aliæ differentiæ conſequuntur. Prima eſt, quam tradit D. Th. hac *q.* 88. *a.* 1. quod peccatum mortale eſt irreparabile per principium interius: ſe habet enim ad ſimilitudinem morbi, qui dicitur mortalis, qui deſtruit principium vitæ. Principium autem ſpiritualis vitæ, quæ eſt ſecundum virtutem, eſt ordo ad ultimum finem; qui, cum per peccatum mortale deſtruatur, non relinquit in homine principium aliquod intrinſecum, per quod poſſit reparari: unde a ſolo Deo reparabile eſt. Peccatum vero veniale ſimile eſt morbo importanti quidem inordinationem aliquam in humoribus, ſed non tollenti principium vitæ; & ideo reparabilis eſt per principium vitæ: ſic peccatum veniale, cum dicat ſolum inordinationem circa media, ſeu circa ea, quæ ſunt ad finem, conſervato ordine ad ultimum finem, reparabile eſt. *Quia* (inquit S. D.) *Inordinationes eorum, quæ ſunt ad finem, reparantur ex fine; ſicut error, qui accidit circa concluſiones, per veritatem principiorum. Defectus ergo ordinis ultimi finis, non poteſt per aliquid aliud reparari, quod ſit principalius, ſicut nec error, qui eſt circa principia: & ideo hujuſmodi peccata dicuntur mortalia, quaſi irreparabilia. Peccata autem, quæ habent inordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem, conſervato ordine finis, reparabilia ſunt: & hæc dicuntur venialia . . . Secundum hoc ergo mortale, & veniale opponuntur, ſicut reparabile, & irreparabile: & hoc dico per principium interius; non autem per comparationem ad virtutem divinam, quæ omnem morbum, & corporalem, & ſpiritualem poteſt reparare.*

XII. Secunda differentia inter peccatum mortale, & veniale eſt, quod illud gratiam, & charitatem expellit; iſtud vero non: & illud inducit reatum pœnæ æternæ; iſtud per ſe pœnæ tantum temporalis. Utraque hæc differentia eſt a poſteriori, & ab effectibus peccati deſumpta. Ex quo enim peccatum mortale avertit hominem a fine ultimo, & ordinem ad ipſum tollat; veniale autem non ſequitur, quod illud excludat gratiam, & charitatem, iſtud vero non. Similiter ex quo peccatum mortale importet inordinationem ab intrinſeco irreparabilem, & ſubinde æternam, veniale vero inordinationem ab intrinſeco reparabilem, ſequitur, quod indicant, illud reatum pœnæ irreparabilem, & proinde æternum; iſtud vero reparabilem, & temporalem. Ita D. Th. 1. 2. *q.* 87. *a.* 3. & 6. Quod vero hujuſmodi differentiæ ſint ſolum a poſteriori, docet S. Thomas *q.* 7. *de Malo a.* 1. ubi concedens, peccatum mortale, & veniale differre ſecundum reatum; & quod mortale privat gratia, veniale autem non, de prima ſubdit: *Sed iſta differentia conſequitur rationem peccati mortalis, & venialis, non autem conſtituit ipſum. Non enim ex hoc eſt tale peccatum, quia talis pœna ei debetur; ſed potius e converſo, quia peccatum eſt tale, ideo talis pœna ei debetur.* De ſecunda autem differentia pergit ſic: *Similiter etiam differunt quantum ad effectum. Nam peccatum mortale privat gratia, veniale autem non: ſed nec eſt iſta differentia, quam quærimus; quia iſta differentia, conſequitur ad rationem peccati. Ex eo enim quod peccatum eſt tale, talem effectum habet, & e converſo.* Et concludit, differentiam conſtitutivam eſſe, quod peccatum mortale dicit inordinationem circa ultimum finem, qui eſt principium vitæ ſupernaturalis; veniale autem ſolam inordinationem circa media: & proinde illam eſſe irreparabilem, iſtam vero reparabilem.

Dubium III.

Utrum peccatum Mortale, & Veniale conveniant univoce: Et an eſſentialiter differant in ratione Peccati.

§. I.

Reſolutio prioris Partis.

I. Dico. Peccatum mortale, & veniale non conveniunt univoce in ratione peccati, ſed analogice. Ita S. Th. hac *q.* 88. *art.* 1. *ad* 1. ubi oſtendens, peccatum veniale proprie non claudi ſub definitione peccati; quam Auguſt. tradit, dicens, quod *ſit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*, ait: *Diviſio peccati in veniale, & mortale non eſt diviſio generis in ſpecies, quæ æqualiter participant rationem generis; ſed analogi in ea, de quibus prædicatur ſecundum prius, & poſterius: & ideo perfecta ratio peccati, quam Auguſtinus ponit, convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum ſecundum rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale; ſicut accidens dicitur ens in ordine ad ſubſtantiam, ſecundum imperfectam rationem entis: non enim eſt contra legem; quia venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, ſed facit præter legem, quia non obſervat modum rationis, quem lex intendit.*

II. Quomodo autem exponendus ſit D. Th. dum ait: peccatum veniale non eſſe *contra*, ſed *præter legem*; dictum eſt *Dub. præc.* §. 1. *n.* 2. nempe; quod non ita ſit contra legem, ut finem legis evertat; ſed præter legem, ideſt, contra modum, quem lex intendit. Quod explicat idem S. Doctor *q.* 7. *de Malo art.* 1. *ad* 1. dicens: *Quia ſi in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipſum corrumpit; quia non corrumpit dilectionem, quæ eſt plenitudo legis, ut dicitur Rom.* 12.

III. Ex his conficitur ratio ſic. Peccatum mortale, & veniale non ex æquo participant rationem peccati; ſed mortale per prius, veniale per poſterius, & in ordine ad mortale: quemadmodum ſubſtantia, & accidens non ex æquo participant rationem entis; ſed ſubſtantia per prius, accidens vero per poſterius, & in ordine ad ſubſtantiam; ergo non conveniunt univoce, ſed ſolum analogice. Ant. prob. Mortale totam peccati rationem poſſidet, ut perfecte ſit contra legem, repugnans ſcilicet fini legis, & ordinem debitum ad finem ultimum corrumpens: at veniale imperfecte eſt contra legem, non repugnans fini legis, immo conſervans ordinem ad finem legis, & ſolum ponens inordinationem circa media; ergo &c.

IV. Sed dices. Etiamſi nullum daretur peccatum mortale, poſſet tamen eſſe, & intelligi adhuc peccatum veniale; ergo hoc non dicitur peccatum per ordinem ad mortale.

V. Reſpond. neg. conſeq. Sicut enim accidens dicitur ens ex ordine ad ſubſtantiam; non quia non poſſit eſſe accidens ſine ſubſtantia, ſed quia non poteſt intelligi ſine ordine ad ſubſtantiam: ita peccatum veniale dicitur peccatum per ordinem ad mortale; non quia non poſſit eſſe ſine mortali, ſed quia concipi nequit ſine ordine ad ipſum. Sicut infirmitas levis, & curabilis, eſto poſſit eſſe ſine gravi, incurabili, & mortali in hoc, vel illo ſubjecto; nequit tamen concipi infirmitas levis ſine ordine ad gravem, incurabilem, & mortalem: immo niſi daretur iſta, abſolute nec illa daretur. Ut enim ait Cajetanus ad hunc art. 1. *Sicut omnis morbus dicitur infirmitas in ordine ad privationem vitæ, quæ eſt infirmitas mortalis: ita omne peccatum dicitur peccatum in ordine ad peccatum, quod privat fine, quod eſt principium vitæ moralis . . . Unde ſi non eſſet peccatum mortale, nec veniale eſſet: ſicut ſi non eſſet mors, nec eſſet ægritudo.*

VI. Nec tamen propterea negamus, peccatum veniale vere eſſe peccatum. Sicut enim accidens, licet ſit ens per ordinem ad ſubſtantiam, eſt tamen verum ens; eſto non ita perfectum ſicut ſubſtantia: & ægritudo ſanabilis, & levis vera eſt ægritudo, licet non tanta, quanta eſt mortalis; ita peccatum veniale, quamvis non tam perfectam peccati rationem habeat, quam mortale, eſt tamen vere, & proprie peccatum. Unde peccata venialia abſolute peccata vocat Scriptura, Prov. 10. v. 19. *In multiloquio non deerit peccatum.* Eccleſiaſtæ 7. verſ. 21. *Non eſt homo juſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* 1. Joann. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.*

§. II.

Reſolutio poſterioris Partis.

VII. Dico. Peccatum mortale, & veniale in ratione peccati, ſeu malitiæ moralis differunt eſſentialiter. Probo. Nam, ex jam dictis, inordinatio, & malitia peccati mortalis pertingit uſque ad finem, deſtruendo ordinem ad ipſum, inordinatio autem & malitia peccati venialis ſiſtit in iis, quæ ſunt ad finem, nempe, in mediis, conſervato ordine ad finem: atqui hujuſmodi inordinationes eſſentialiter differre debent; ſicut eſſentialiter differunt error circa principia, & error circa concluſiones tantum; ergo &c.

VIII. Sed dices primo. Objecta peccati mortalis, & venialis interdum ſpecie non differunt, ut patet in objecto furti: nam ejuſdem ſpeciei eſt res aliena, ſive in parva, ſive in magna quantitate quis eam furetur. Et motus infidelitatis, ſeu blaſphemiæ in Deum idem objectum habent, ſive deliberati ſint, ſive indeliberati: cum tamen deliberati peccatum mortale ſint, indeliberati vero veniale.

IX. Dices ſecundo. Magis, & minus non variant ſpeciem: ſed peccatum mortale, & veniale differunt penes magis, & minus, ut patet in furto gravi, & levi: unde D. Thom. hac *q.* 88. *art.* 6. *ad* 1. dicit, quod *Veniale differt a mortali, ſicut imperfectum a perfecto, ut puer a viro.* Patet autem, quod puer ſpecie non differt a viro: Et 1. 2. *q.* 72. *art.* 5. aperte docet, peccatum veniale, & mortale non differre ſpecie.

X. Reſpondeo ad primam inſtantiam, nos non negare, peccatum mortale, & veniale aliquando verſari circa idem objectum materiale, & ex parte objecti ſpecie non diſtingui: ſed negare ſolum, quod ſpecie non diſtinguantur in ratione peccati, & ex parte malitiæ. Cum enim ſpecies malitiæ ex inordinatione ſumatur; & inordinatio peccati mortalis, utpote circa ultimum finem, a quo avertit, ſpecie diſtinguatur ab inordinatione peccati venialis, utpote ſolum circa media ſervato ordine ad ultimum finem: ideo dicimus, peccatum mortale, & veniale in ratione peccati, & malitiæ eſſentialiter differre.

XI. Obſervandum propterea cenſeo ex D. Thom. hac *q.* 88. *art.* 2. aliqua peccata eſſe mortalia ex ſuo genere: & ſunt illa, quæ ex ſua ſpecie, & objecto contrariantur charitati Dei, & proximi; qua homo ordinatur in ultimum finem; ut ſunt blaſphemia, perjurium &c. vel homicidium, adulterium, & alia hujuſmodi. Alia ſunt venialia ex ſuo genere, quæ, ſcilicet, continent quamdam inordinationem, non tamen contrariantur dilectioni Dei, & proximi; ſicut verbum otioſum, & riſus ſuperfluus, & ſimilia. *Sed quia* (addit S. Doct.) *actus morales recipiunt rationem boni, & mali non ſolum ex objecto, ſed etiam ex aliqua diſpoſitione agentis, ut ſupra habitum eſt* (quæſt. 67. art. 6. & quæſt. 78. art. 4.) *contingit quandoque, quod id, quod eſt peccatum veniale ex genere, ratione ſui ſubjecti, ſit mortale ex parte agentis; vel quia in eo conſtituit finem ultimum: vel quia ordinat ipſum ad aliquid, quod eſt peccatum mortale ex genere: puta, cum aliquis ordinat verbum otioſum ad adulterium committendum. Similiter etiam ex parte agentis contingit, quod aliquod peccatum, quod ex ſuo genere eſt mortale, ſit veniale; propter hoc ſcilicet: quod actus eſt imperfectus, ideſt, non deliberatus ratione, quæ eſt principium mali actus: ſicut ſupra dictum eſt* (q. 84. art. 10.) *de ſubitis motibus infidelitatis.*

XII. Sed dices. Amor regulatus per cognitionem plenam, & claram, ſicut eſt amor Patriæ, & amor regulatus per cognitionem ſemiplenam, & imperfectam, ſicut eſt amor viæ non differunt eſſentialiter; ergo motus peccaminoſus procedens ex cognitione plena, & procedens ex cognitione ſemiplena, & indeliberata non differunt eſſentialiter.

XIII. Reſpondeo, aliter ſe habere cognitionem objecti ad amorem, aliter ad peccatum. Cognitio enim ſe habet ut pura conditio, ſeu ſi velis, ut principium pure effectivum, non varians formaliter objectum: unde ſive clara ſit, ſive obſcura, amor ejuſdem objecti manet idem ſpecie. At cognitio plena, vel ſemiplena variat voluntarium, & conſequenter objectum in ratione voliti. Quare objectum pravum ſemiplene cognitum, conſtituit peccatum ſpecie diverſum ab eodem, ut plene, & indeliberate volitum, ut ultimum finem.

XIV. Ad ſecundam inſtantiam reſpondet D. Thom. q. 7. de Malo art. 1. ad 19. *Quod magis, & minus quando conſequuntur rationes diverſas, diverſificant ſpeciem. Et ita eſt in propoſito. Nam diligere aliquid, ut finem* (quod fit in peccato mortali) *& ſicut id, quod eſt ad finem* (quod fit in peccato veniali) *non habet eamdem rationem dilectionis* —— Ex quibus patet, quod cum comparat peccatum veniale ad mortale, ſicut imperfectum ad perfectum, velut puerum ad virum ſolum intendit, quod ſicut per additionem majoris quantitatis, homo de puero fit vir: ita per additionem deformitatis, peccatum de veniali fit mortale. Non tamen intendit, quod ſicut additio novæ quantitatis non facit, virum eſſe diverſæ ſpeciei a puero; ita nec additio deformitatis conſtituentis peccatum mortale, non faciat, veniale diſtingui ſpecie a mortali. Nec juvat, quod comparet veniale ad mortale, ſicut imperfectum ad perfectum. Nam, ut ſupra diximus, cum eodem *q.* 88. *art.* 1. *ad* 1. veniale eſt in genere peccati imperfectum, ſicut accidens in genere entis eſt imperfectum reſpectu ſubſtantiæ: certum eſt autem, accidens genere a ſubſtantia diſtingui.

Quod vero 1. 2. *q.* 72. *art.* 5. doceat, peccatum mortale, & veniale non differre ſpecie, non eſt ad rem. Nam ibi non negat abſolute, peccatum mortale, & veniale differre ſpecie; ſed ſolum negat, differre ſpecie ratione reatus. Verba ejus ſunt: *differentia venialis, & mortalis peccati, vel quæcumque alia differentia, quæ ſumitur penes reatum, non poteſt eſſe differentia conſtituens diverſitatem ſpeciei.* Et hoc ideo; *quia pœna eſt præter intentionem peccantis: unde per accidens ſe habet ad peccatum ex parte ipſius peccantis.* Non negat tamen, differre ſpecie in ratione peccati penes inordinationem: immo exemplo morbi id affirmat. Sicut enim morbus perveniens uſque ad deſtructionem principii vitæ, diverſæ ſpeciei eſt a morbo deordinante humores, ſalvo principio vitæ: ita inordinatio, quæ pervenit uſque ad deſtructionem ultimi finis, qui eſt principium vitæ moralis, in qua conſiſtit peccatum mortale, erit ſpecie diverſa ab inordinatione ſolum circa media, ſalvo ordine ad ultimum finem, in qua conſiſtit peccatum veniale.